

cogitabiles perfectiones, veluti proprietates *relativas*, adscribimus: ibi Deum perfectissimè intelligentem, volentem, unum & c. hinc absolutum quarumlibet rerum dominum, creatorem, conservatorem & c. cogitando.

3. Hoc de proprietatibus relativis ut rectè capias, sume triginta quatuor illas magnetis, quas Physica nostra demonstrat, proprietates, & totidem in Deo numerabilis solius magnetis intuitu attributa respectiva, quatenus nimirum Dei consideratur ut author primus singularum ex magneticis proprietatibus, qui eas tales esse voluit, tales instituit, fecit, ordinavit, conservat.

4. Philosophus Med. tertia ideam Dei maximè claram esse sic probat, *quia quicquid clarè ac distinctè percipimus & perfectionem importare novimus, id totum in ea continetur.*

5. Quæ verba hic exemplis declaro: clarè & distinctè percipimus quid sit cogitare, intelligere, velle, scire, posse, existere, & c. & novimus ea perfectionem sive realitatem designare: hæcque omnia in idea Dei *formaliter* continentur, quatenus

nus